



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Leone X. Mvsarvm Parente Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

tibus sub Innocentio 8. Alexandro 6. & Iulio 2. Pontificibus Maximis sanctissimè gestis, ab eodem Iulio per omnes dignitatum gradus in Cardinalium ordinem ascitus est; multisque inde Reipublicæ muneribus domi forisque præfectus, ac in Umbria semel Leonis x. & Clementis 7. in urbe iterum Legatus, eam semper præ se integritatem, prudentiam, pietatem tulit, ut Romana Ecclesia non iam fratrem ac membrum nobilissimum, sed caput ipsum & patrem eius morte amisisse visa sit. Vixit annos 72. è vita excessit anno Christi 1533. Iulius 3. Pontifex Maximus Patruo Charissimo, ac de se & Balduino fratre suo optimè merenti, fecit.

ACHILLES DE GRASSIS Bononiensis Cardinalis, ad Heluetios Polonosque Sedis Apostolicæ Nuncius, & ad Ludouicum 12. Galliarum Regem Legatus, scripsit Decisiones Rotæ iam pridem editas. Obiit anno 1523. Romæ sepultus in Ecclesia S. Mariæ trans-Tyberim cum hoc Epitaphio.

Achilli de Grassis Episcopo Bononiensi huius Basilicæ Cardinali, morum gravitate & Legum peritiâ nulli secundo, in quo nullum iustitiæ, modestiæ, ac liberalitatis genus unquam desideratum est. Vixit annos 60. Clementi 7. & uniuersæ Curie maximo de se desiderio relicto.

A LEONE X. MVSARVM
PARENTE CREATI.

LAURENTIUS PUCCIUS Florentinus ex Episcopo Pistoriensi Cardinalis, cui Erasmus & Baptista Mantuanus libros inscripserunt; Leone x. imperitante inter instrumenta Pontificatus habitus est, cum vni Puccio ex sententiâ ministro, omnia Leo concederet. scripsit
De

De Gratiis & Expectatiuis, cum Datarij munere
fungeretur. Romæ iacet in æde S. Mariæ su-
pra Mineruam, cum hoc Epitaphio.

*Laurentio Puccio Episcopo Prænestino Cardinali Sanctorum
quatuor maiori Pœnitentiario, singularis probitatis ac amabili-
tatis, & in Apostolicis negotiis experto, qui vixit annos 73. Men-
sem unum, dies 9. iuxta Leonis Papæ decimi (ut mandauerat) se-
pulchrum. Robertus Puccius Cardinalis Sanctorum Quatuor
Maior Pœnitentiarius fratri optimo ac benemerenti faciendum cu-
rauit. Mortem obiit anno 1531.*

BERNARDVS TARLATVS seu Diuitius ex Op-
pido Bibiena Florentinæ Diœcesis Cardinalis ad quem
Marfilii Ficini aliquot extant Epistolæ, ab ineunte æ-
tate Leonis x. liberali ingenio lubens adhæsit, ex quo ad
Cardinalatus fastigium productus meritissimò, vberes
fructus tulit, scripsit antiquâ ratione

Calandram Comediam tanto sale respersam, vt
in hoc scribendi genere ne ipsi quidem Plau-
to cedere videatur.

Epistolæque multas, quarum 22. extant inter
Principum Epistolæ. Obit Romæ anno
1520. Sepultusque est in æde S. Mariæ de
Ara cœli cum hoc Epitaphio.

*Bernardo Diuitio Cardinali, viro plurimis, maximisque vir-
tutibus, ac Leonis x. Pontificis Maximi veteri familiaritate, &
beneuolentiâ insigni, amplissimis muneribus & Legationibus pro-
bè functo. Fratrum filij mœstissimi Patruo B. M. qui eis cuncta
paterna beneficia præstitit, arcam sepulchralem, dum quo iussis
inferatur, posuere.*

IOANNES PICOLOMINEVS Pij Papæ 3. Nepos,
ex Archiepiscopo Senensi Cardinalis doctissimus, scrip-
psit

Orationes aliquot, vt opitor, excusas. Obiit Se-
nis anno 1577. Ibidem in Cathedrali sepultus.

POMPEIVS COLUMNA Cardinalis Romanus,
variis casibus exercitus, vt eius vita à Paulo Iouio con-
scripta indicat perspicuè. Marcum Antonium Casano-
uam, Tamiram Macarocium, Phædrum Volateranum,
& Camillum Porcium in famulatio habuit, scripsitque
Poemata quædam. Et

De laudibus mulierum iustum volumen in gratiã
Victoriæ Columnæ. Obiit Neapolitanus Pro-
rex in complexu Augusti Niphi Philosophi,
anno 1532. 4. Kal. Augusti.

DOMINICVS IACOBATIVS Romanus ex Epif-
copo Lucerino Cardinalis Iuris enarrator oculatissi-
mus, scripsit

De Concilio.

De Loco Concilij.

Ad quem spectet congregare Concilium.

Quando sit congregandum Concilium.

Quales debent esse interfuturi Concilio.

An Papa habeat authoritatem à Conciliis ge-
neralibus, & an Concilium possit restringere
authoritatem Papæ.

An Cardinales qui discesserunt à Papa possint
congregare Concilium.

An Papa possit accusari de Hæresi.

Ex quibus causis & quomodo possit Papa depo-
ni, Et

De Apellatione à Papa ad Concilium.

Obiit Romę an. 1528. Sepultusque est in æde Sancti Eustachii.

LAVRENTIVS CAMPEGIVS Sarisburiensis Episcopus & Cardinalis, suo pte ingenio properus notescere, annostantùm natus 19. Patauij Ius Cęsareum incredibili auditorum admiratione, vnà cum patre Ioanne Campegio, cuius opera in pretio sunt, publicè professus est. Legationes plures obiit, Hungaricam videlicet, Bohemicam, Polonam, Anglicam & hæresi Lutheranâ (per quam antiquæ resurgunt hæreses) gliscente Germanicam quinq̄ies. scripsit

Aduersus sui temporis hereticos quædam, vt author est Sanderus.

Reformationem Cleri Germaniæ tomo Conciliorum. 5. infertam.

Epistolas ad diuersos, quarum 20. editæ sunt.

Et alia quędam. Obiit Romæ anno 1539. Sepultusque est in æde S. Marię trans-Tyberim in qua hoc habuit Epitaphium.

Laurentij tituli S. Marię trans-Tyberim patris, & Alexandri S. Lucię in Silice filij, ex legitimo matrimonio ante Sacerdotium suscepti; ex nobili Compegiorum Bononiensium familia S. R. E. Cardinalium ossa ex eminenti loco anno salutis 1571. huc translata in vnum requiescunt.

HADRIANVS FLORENTII Filius Traiectensis Belga, ex Episcopo Dertusensi Cardinalis, qui postea Hadrianus Papa 6. Carolo quinto Imperatori præceptor ascitus est; scripsitque, cum Louanii Cathedraticus professor, Theologiæ adyta referaret,

In 4. librum Sententiarum.
 Quodlibeticas quæstiones 12.
 Computum hominis agonizantis.
 De Superbia Sermonem. Et à Pontificatu.
 Epistolas ad Marcum Marulum & singulos Prin-
 cipes Germaniæ, Paulus Iouius & Gerardus
 Moringus eius vitam accuratè descripserunt, ne
 tanti Pontificis laus aliquatenùs oblolesceret.
 Romæque iacet in æde S. Mariæ de anima cum
 hoc Epitaphio.

*Hadriano 6. Pontifici Maximo ex Traiecto insigni inferio-
 ris Germaniæ vrbe, qui dum rerum humanarum maximè auersa-
 tur splendorem, vltro à proceribus ob incomparabilem sacrarum
 disciplinarum scientiam, ac propè diuinam castissimi animi mode-
 rationem, Carolo quinto Cesari Augusto Preceptor, Ecclesiæ
 Dertusensi Antistes, Sacri Senatus Patribus Collega, Hispania-
 rum Regnis præses, Reipublicæ denique Christianæ diuinitus Pon-
 tifex absens adscitus. Vixit annos 63. menses 6. dies 13. decessit 18.
 Kalendas Octobris anno à partu Virginis 1523. Pontificatus sui
 anno secundo. VVilhelmus Eikenuort illius benignitate & aus-
 picis tit. Sanctorum Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis Der-
 tusensis faciendum curauit*

FERDINANDVS PONZETVS Neapolitanus ex
 Episcopo Melphitensi Cardinalis, philosophicis disci-
 plinis institutus literisque cum græcis, tum latinis egre-
 giè instructus. scripsit

De Sacramentis ad Hadrianum 6.
 De Venenis ad Augustinum Nyphum libros tres.
 De Physica volumen vnum. Et
 De origine animæ. Romæ iacet in æde S. Ma-
 riæ de pace cum hoc Epitaphio.

Depositum viri omnium disciplinarum, omniumque actionum humanarum, quæ singularem & corporis & animi veram felicitatem mortalibus parere solent refertissimi, Ferdinandi Ponzeti S. R. E. Presbyteri Cardinalis tituli S. Pancratij qui die 2. Septembris 1527. Obiit, victurus scilicet vitam homi. 120. annorum ni sacram direptionem vidisset. Iacobus Ponzetus Episcopus Melphitanus nepos lacrymans posuit.

THOMAS DE VIO Caietanus Ordinis Prædicatorum Cardinalis, & Archiepiscopus Panormitanus, cuius vitam Antonius Fonsca & Ioannes Baptista de Aquila descripserunt, per omnes Theologiæ partes euagatus animum præcipuè ad Aristotelis obscura sensa dilucidanda appulit, variaque vt ex ingenio quisque suo de eruditione eius spectatissima nullo negotio sententiam ferat, assidua commentatione in apertum protulit, & in iudiciorum arenam dimisit, videlicet

In Vniuersalia Porphirij.

In libros Aristotelis Logicorum & de Anima.

In Pentateucum.

In libros historiales

In libros Sapientiales } Bibliorum.

In Psalmos.

In tria priora capita Esayæ.

In quatuor Euangelia.

In acta Apostolorum.

In omnes Epistolas D. Pauli & Apostolorum.

In librum D. Thomæ de ente & Essentia.

In Summam S. Thomæ per ampla Commen-
taria.

Summulam de peccatis succinctam.

De potestate Papæ & Concilij.

Nomencl. Sanctæ Romanæ

- Apologiam pro eodem opusculo.
 De cambiis.
 De maleficis.
 De votis.
 De circumstantia diei festi.
 De vsura.
 De Eleemofina.
 De Conceptu Entis.
 De Infinitate Dei.
 De Celatione confessoris.
 De nominum Analogia.
 De subiecto naturalis philosophiæ.
 De potentia neutra.
 De vsu Spiritualium rerum in peccato
 mortali.
 De Pontificatus Institutione diuina.
 De Simoniâ.
 De Castitate.
 De Matrimonio.
 Quæstiones de Coelo & mundo & de
 sensu agente.
 De vnione verbi Dei.
 De immortalitate animorum
 Quomodo Spiritus patiantur ab igne
 De Synodorum differentia.
 De Spasmo Virginis.
 Aduersus Lutherum de fide & operibus.
 De Communione, de Confessione, de Satisfac-
 tione, de Inuocatione Sanctorum.
 Et alia opuscula. Romæ iacet in æde S. Ma-
 riæ supra Mineruam cum hoc Epitaphio.

Hac anteriori fossulâ, quam lector inspicias, felicis memoriae Thomae de Vio ordinis Prædicatorum Cardinalis Caietani conseruantur ossa, qui dum vixit ita moribus atque omni doctrinâ humano generi profuit, ut pro tanto beneficio Deo gratias agere, ac pro eius anima merito preces fundere teneamur. Hic quorundam aliorum inanem declinans fastum humili hoc se condi iussit tumulo. Vixit annos 65. dies 29. Obiit anno Christi 1534.

THOMAS DE VIO CAIETANVS
CARDINALIS S. SIXTI SACRI
ORDINIS PRÆDICATORVM.

ÆGIDIUS DE CANAPINA diocesis Viterbiensis Ordinis S. Augustini Cardinalis, exoticas linguas pertinaci studio consecutus, Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ supra quam credi aut cogitari possit, peritus fuit, scripsitque,

In tria priora capita Geneseos.

Commentaria in quosdam Psalmos ad Leonem x.

De Ecclesiæ incremento.

Dialogorum librum.

Epistolarum librum.

Orationem habitam in Concilio Lateranensi.

Oden in Ægidii Romani laudes.

Et alia multa profâ & carmine, vernaculâ latinâque linguâ, quæ nondum explicita in eius obitu interuersa sunt. Obiit Romæ anno 1532. Funebrique oratione à Laurentio Granio Episcopo Signino laudatus. Sepultus est in Ecclesia S. Augustini cum hoc Epitaphio.

Deo Opt. Max. Ægidio Viterbiensi Cardinali Gabriel Venetus Generalis posuit, 1536.

AUGUSTINVS TRIVULTIVS Mediolanensis ex
Episcopo Tolonensi & Baiocensi Cardinalis, scripsit,
indefesso propemodum studio,

Historiam Pontificum per succiduum successio-
nem ad Paulum 3. deductam, quam mortè præ-
occupatus typis mandare non potuit. Eaque
Onuphrius Panuinius qui Pontificum historiã
densissimis obsessam tenebris illustravit, non
mediocriter vsus est. Obiit Romæ anno 1548.
Sepultus in æde S. Mariæ de Populo.

AB HADRIANO VI. CREATI.

VILLELMVS ENCKENVOERTIVS Belga
ex Episcopo Dertusensi Cardinalis, scripsit

Orationem ad Theologiæ facultatem Louanien-
sem. Romæ iacet in æde S. Mariæ de anima
cum hoc Epitaphio.

*Villmo Enckenvoertio Brabantino S. R. E. presbytero
Cardinal, qui plurimis Romæ Reipublicæ magistratibus, &
Germaniæ procuratione integerrimè functus ab Hadriano 6. Pont.
Maximo, cuius item res administrauerat libellis dandis & Ec-
clesiæ Dertusensi præfectus, & in Cardinalium Collegium claro
benevolentia indicio translatis in eum pristinae suæ dignitatis insti-
gnibus solus cooptatus. Deinde etiam à Clemente 7. Ecclesiã Traie-
ctensi honestatus est. Carolo quinto Imperatori libentiss. quem ab
illo coronam Imperij accipientem inunxit, quique beneficiorum me-
mor Hadriani cadauer è Petri Basilica in hanc ædem cuius con-
struendæ & ornandæ adiutor fuit, sepulchro posito transferri
curauit, in egenos & in omnes homines beneficentissimo. Ioannes
Dominicus Tranensis, Antonius Sanseuerinus Cardinales, & Pe-*